DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CYNANCHE PHLOGISTICA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GUSTAVUS BROWN,

BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

——*Miſeris ſuccurrere diſco.* VIRG.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M,DCC,LXX.

RICHARDO BROWN, S.S.T.M.

MARYLANDIANO,

PATRI OPTIMO:

ITEM

JOANNI GREGORIO, M.D.

USUS ET INSTITUTIONUM MEDICINÆ

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI,

PRÆCEPTORI EGREGIO:

ILLI OB AMOREM VERE PATERNUM;

HUIC PROPTER CURÆ PRÆCEPTORIÆ

SUPERADDITAM AMICITIAM:

HOC PRIMUM MEDICINÆ STUDIORUM

PROFECTUUM EXEMPLUM,

D. D. C. Q.

FILIUS ET ALUMNUS

GUSTAVUS BROWN.

To Mr Ligertwood
from his friend and
humble servant
the Author

DISPUTATIO MEDICA

DE

CYNANCHE PHLOGISTICA.

MORBUS, de quo agendum inſtitui, Cynanche noſologicorum * eſt: Verum, cum ex ſpeciebus conſtet Phlogiſtica, et Typhode, quae, diverſa inter ſe natura, diverſam pariter curationem recipiunt, et illa frequentior, haec rarior, ſe curantibus offerat, phlogiſticam potiſſimum tractabo.

* Sauvag. noſ. method. tom. I. p. 487. Lin. gen. morb. in amoen. acad. tom. 6. 459. Cull. gen. morb. 260.

Cynanche phlogiſtica eſt febris cum inflammatione ſeu phlegmaſia noſologicorum, gutturis rubor, dolor, et plerumque tumor, item devorandi et ſpirandi difficultas, et anguſtatarum faucium ſenſus.

Atque haec, licet alia apud alios homines graviora aut leviora ſint, et ratione ac ordine inter ſe permiſceantur; tamen, quia omnia magis aut minus in omnibus caſibus concurrunt, pro perpetuis habenda ſunt.

UNIVERSA MORBI SIGNA.

Quae minus perpetua ſunt, ſed pleriſque communia, aut omnia in aliquot et in aliis alia incidunt, haec reperiuntur. Primum horror * eſt, quem mox calor, deinde ſitis, excipiunt. Percuſſus arteriarum

* Haller. hiſt. morb. 42. Syden. ſect. ſext. cap. 7. Hoffman. op. tom. 2. p. 126.

citi,

citi, celeres, et duri fiunt; tum molestia quaedam in gutture, haud verbis explicabilis, ita subsentitur, ut brevi dolorem esse, primum saliva, dein liquida hausta, postremo durum quidlibet voratum, declarent. Mox etiam, sine hujusmodi irritamentis, dolor jam apertus, jam assiduus, est, nec in horas, sed quasi in temporum puncta, crescit; simul calor insolitus subest; aperto ore, gutturis rubor, et saepissime tumoris aliquantum, cernitur. Rubor cum tumore nunc in dextro, nunc in sinistro faucium latere, magis, aliquando in utroque pariter, est. Interdum spiritus difficilis fit. Quae omnia mala saepe paucis horis, plerumque longiore temporis spatio, mirum in modum crescunt. Jamque lingua, jam vultus, cum rubore turgent, et saepe illa exseritur; jam oculi prominentes sanguine suffunduntur, et colli, ut et temporum, vasa plurimum distenduntur; quarum etiam partium actiones pro ratione turbantur. Quicquid cibi assumptum est, naribus rejicitur.

jicitur. Vox clangoſa eſt, et incerta aut nihil ſignificat. Interdum ſtriduli, acuti, aut cum ſuſurro, ſoni eduntur. Saepe dolent aures; eſt ubi ſurdeſcunt. Profunditur aſſidue ſaliva; neque in tanta morbi ſaevitie non et ſpiritui et devorandi facultati multum, ſed inaequaliter, ac modo illi magis, modo huic, ſed ſaepius huic, officitur. Quod ad ſpiritum attinet, is interdum parvus et frequens, interdum laborat, ſaepe, inter eundem trahendum, dolor acutus urget; facilius corpore erecto ſpiratur; avidius aer frigidus concupiſcitur; idque fit, ubi nonnunquam facilis ſatis ſpiritus eſt. Contra, immuni ſpiritu, devorandi negotium non ſine ſummo dolore peragitur. Alimenta per nares rejiciuntur; tuſſis vehemens cietur; jactat ſeſe in lecto aegrotans; arteriae celeres tremiſcunt. Poſtremo, ubi his, jam extremorum cum pallore frigus, ubi labra liventia, ubi viſus, ubi auditus, ubi tactus, et reliqui ſenſus,

deſi-

deficientes, ubi delirium, item convulsiones et syncope, succedunt, mors miserum rapit.

SEDES.

Hic morbus, ut e signis ejus jam memoratis disci facile potest, non unam sedem occupat, puncto uni adhaeret; sed, prout latius aut angustius inflammatio serpit, et huc aut illuc potius dirigitur; nunc asperae arteriae et laryngis, nunc œsophagi et pharyngis, nunc tonsillarum et uvulae membranam *, et intus et extra communem, interdum hanc universam, obtinet.

Ad primam sedem † e signis expositis attinent, vox stridula, acuta, aut susurrans, spiritus parvus, creber, aut laboriosus, erecto capite et trunco facilior, et hunc inter

* Morgan. de sed. et caus. morb. tom. 2. p. 170. & 359. † Hoff. op. tom. 2. p. 655. Van. Swiet. tom. 2. 655. 657.

trahendum

trahendum dolor acutus, pulſus celeres et tremiſcentes; eaque tanto omnia pejora, quanto epiglottida propius accedunt; ſed, niſi hac inflammata, inter vorandum dolor nullus, ejuſdem libera fere facultas; item abſconditur alte, alias in conſpectu, tumor.

Contra, inſidente ſecundae * parti inflammatione, diverſae notae ſurgunt. Nam, ut ſpiritus liber, ita vorandi vel cum dolore difficultas vel etiam impotentia premit; aſſumpta ore per nares rejiciuntur, et tuſſim ſimul cient, ut ideo cibo omni et potione neceſſario abſtineatur.

Tertiæ ſedis † ſigna ſunt ſputum aſſiduum, et muci profuſio, auris interioris dolor acutus, ejuſdem interdum inter vorandum quaſi crepitus, et ſaepe etiam ſurditas. Quod vero hic quoque ſpiritus affici, et parvus, difficilis, nec omnino naribus peragi, dicitur, id non a re vera, ſed opinione, quaſi per totam naſi membra-

* Hoff. op tom. 2. p. 126. Van Swiet. tom. 2. p. 659. & 661. † Ibid. 663.

nam

nam inflammatio diffunderetur, tractum eſt.

E quibus morbi formis, in ſedis diverſitate conſiſtentibus, rariſſima prima, altera frequentior, poſtrema frequentiſſima, eſt.

Eodemque fere ordine, prima quoque vehementiſſima et periculi plena, poſteriores minus vehementes, et tutae ſatis; niſi quod, ubi diuturnius forte malum eſt, nihil, ſive ad corpus alendum, ſive ad partem detergendam, in ventriculum pertranſiens, non caret periculo.

Quod vero ad diuturnitatem morbi attinet, is modo paucis horis jugulat, ſaepius tres quatuorve dies permanet, eſtque ubi ad nonum circiter diem ſaepe etiam producitur.

Idem caeteris omnibus fere inflammationibus mobilior *, relictis faucibus, modo caput, modo thoracis, modo abdominis viſcus aliquid, modo cutem, modo

* Van-Swiet. tom. 2. 678.

extrema,

extrema, saepissime pulmones, petit *: Quarum mutationum ubi aliqua accidit, faucium qui primus fuit dolor, et gravius quodque signum, subito desinunt, et permanente febre locus petitus, cum variis, pro hujus varia natura aut situ, suborientibus notis, vehementer dolere incipit. Quarum notarum e morbis ad quos pertinent petetur recte cognitio.

CYNANCHE, ut et pleraeque inflammationes communes, in suppurationem aut gangraenam plerumque, sed in illam, quam hanc, saepius multo transit, saepissime utriusque expers dissolvitur.

SUPPURATIONIS notae sunt, evidens doloris, parum decrescente tumore, remissio; horrores vagi et inaequales, nec dissimilis febris, scilicet vaga et incerta, sed minor tamen, postremo in sede conspicua color diversus et fluctuatio cerni potest.

* Hoff. op. tom. 2. 127. Hall. hist. morb. 43. Platner. ars med 97. Sennert. op. tom. 3. 281 Morgag. de sed. et caus. morb. tom. 3. 174.

GAN-

Gangraenam eadem hic, quae in cynanche gangraenosa, significant, scilicet faucium rubor in livorem mutatus, tumor desidens, arteriarum percussus debiles, artusque extremi frigescentes.

DISCRIMINA.

Signis morbi sic expositis, et formis constitutis; proximum est, quaedam, quibus is a cynanche gangraenosa discernatur, demonstrare, et utriusque inter se differentias exponere.

Ergo utrique communis horror, in gangraenosa, cum anxietate circa praecordia, suspiriis, lassitudine, moestitia, nausea, vomitu, spiritu male olente, delirio, arteriis exiliter et inaequaliter micantibus, et saepe omnino quiescentibus, est. Qui notarum concursus ab eo, quem in historia jam enumeravimus, prorsus differt. Neque partis laborantis signa magis inter sese conveniunt. Tumor gangraenosus

exiguus paulatim advenit. Locus affectus ruberrimus, protinus fere, post signa modo relata, eroditur; nam vix unquam, certe diutius paulo post pyrexiam, non eroditur aliquid. Contra, hoc saepe primum signum est. At tumor phlogisticus plerumque satis magnus et evidens est; nihil eroditur, aut erodi periclitatur. Aliud discrimen sensus affectionis dat. In gangraenoso non tam dolor est, quam caloris aut ardoris faucium sensus, et ingratus oris sapor. Contra, sine his in phlogistica praecipuus dolor est. Postremo, huic plerumque bona valetudine usi, robusti, et inflammationis habitum habentes, et adulti, opportuni sunt; illa imbecilli, resoluti, pueri et mulieres, prae caeteris periclitantur: Non quod quaedam utrinque non excipiuntur; sed ego communia noto.

A symptomaticis omnibus anginis idiopathicam hanc distinguunt signa propria istorum morborum, eum vel praecedentia vel comitantia.

QUI

QUI MORBO POTISSIMUM OPPORTUNI SINT.

PLENI homines, robore et aetate florentes, quique habitus inflammationis habent, ut aliis phlegmasiis, ita huic praecipue opportuni sunt *; et ex iis ipsis qui frigoribus prae caeteris objecti sunt, ut frigidorum locorum et temporum effectus docet, maxime periclitantur. Itaque aetate provectioribus juniores †, mulieribus aut pueris viri, saepius morbum experiuntur. Denique, multi ex aliis morbis convalescentes ‡, aut hunc prius, quodcunque eum, sive syphilis, sive exanthemata, sive catarrhus, sive frigus fecerit, jam ante perpessi, in eundem sunt proclives.

* Syd. sect. sext. cap. 7. Junck. consp. med. 257.
† Ibid.
‡ Van Swiet. tom. 2. 653.

60

POTESTATES NOCENTES.

LONGE multo potentiſſima noxa, quae hunc morbum excitat, frigus eſt *, quod ſaepènumero ſolum par effectui cernitur. Neque caloris † ſtimulans et exſiccans poteſtas expers ſaepe ejuſdem mali eſt; quae utique noxa ſub frigidioribus coelis rarior eſt. Aliae offenſae eundem effectum vel cum frigore, vel etiam ſine eo, praeſtant; cujuſmodi aliae mechanice ‡, aliae chemice **, agunt. E mechanicarum numero ſunt ipſius organi intentio vehemens, ſive loquitando, ſive cantando, ſive clamitando, ſive clangendo; item, varia dura et irritantia corpora, fauces diſtendendo, lacerando, aut alioquin ſtimulando.

* Van Swiet. tom. 2. p. 653. Hoff. tom. 2. 126.

† Van Swiet. ibid. Hoff. ibid. ‡ Ibid. Hildan. cent. 3. obſ. 42. Sennert. op. tom. 3. 279.

** Junk. Conſp. Med. 257. Hoff. op. tom. 2. 126. Hom. Princip. 110.

AD

Ad chemicas noxas acria varia, qualia ſunt acidum, mercurii male paratae formae, hujus et arſenici vapores, album helleborum, et quaedam venena, pertinent. Hoffmannus * peſſimas faucium inflammationes a parietum cubiculi calce lotione dormientibus obortas, et necatos pueros, vidit. Utrum id frigori, an calcis noxio vapori, tribuendum?

Neque de his mali irritamentis ambigitur. Verum, an haec, ſcilicet, frigus, ſive ſine reliquis, ſive cum iis, ſola noceant, an alia inſuper, ut aeris inquinamenta, contagio, aut acris vapor perſpirabilis per frigus corpore retentus, in numerum veniant, hic locus requirendi eſt.

Contagionem aut aeris inquinamenta ſaepe in cauſa eſſe, haec argumenta ſunt, quod morbus noſter in tot exanthematis graviſſimum ſignum, et, prae caeteris, in ſcarlatina, reperitur; quod affectibus catarrhalibus, qui ab inquinamentis aut contagione ſaepe manifeſto oriuntur, nun-

* Vid. Tom. 2. p. 126, Tulp. lib. 3. cap. 41.

quam

quam fere deest, quod affectus quidam qui species ejus habenda est, Anglice *Mumps*, Scotice *Branks*, vocatus, perpetuo contagiosus est; postremo, quod ipse, licet in vera eum inflammatione constare omnia declarent, ita interdum ab aliis corporibus ad alia transit, ut id nisi per contagionem non fieri appareat. Unde, inquinamenta aut contagionem saltem una cum frigore nocere, in primis verisimile est. Jam dictum est, frigus potentissimam noxam et solam saepenumero esse. Et, licet magna frigoris vis, diu corpori adspirans, pro partis irritamento, hunc morbum simili ratione, qua pleuritida aut peripneumoniam, facere videatur, tamen solam et semper facere, non ideo sequitur. Aliquando enim frigus solum partem praeparare videtur, quo facilius eam alia noxa moveat; potestque, in summum corpus agendo, materiam contagionis accumulare et in morbi sedem dirigere. Contra, ubi frigus, aut simile aliquid quod eam intus concludat et in partem dirigat, deest,

contagionem

contagionem corpore receptam, ultro eo, nullis ſui veſtigiis relictis, excedere veriſimile eſt. Certe ſimilis aliqua multorum morborum in inflammatione conſiſtentium ratio quaerenda eſt, neutiquam frigore aut ulla alia evidente noxa ex toto explicabilis.

Quod autem ad perſpirationem attinet, ejus vis, ſive copiam ſive proprietatem reſpicias, a nonnullis ſupra verum elata eſt, latiuſque per corpus patere et plus juſto poſſe accredita. E contrario, eandem in neutram partem eſſe memorabilem, quidam nuper differere coeperunt. Sed mihi neutra opinio ad amuſſim vero congruere videtur; utraque quodam tenus recipienda. Siquidem hinc neque tantum tamve late valere, neque illinc uſque adeo contemnenda, et nihil referre perſpiratio, perſpectis rebus, apparet. Namque eum vaporem acerrimum poſſe fieri, res certa confirmat. Infectus catarrho unus inſulanorum noſtrorum, cum in vicinam Divi Kildae forte tranſiiſſet, per illum populum longe

longe lateque ſuum morbum ſparſit. Quod ſi hoc fieri vulgo et quotidie aſſolet, quid obſtat quo minus eadem perſpirationis acris vis eo creſcens perveniat, ut accumulata, ſicut jam dictum de contagione eſt, et in certas partes directa, illic inflammationes excitet. Multa alia in eandem ſententiam dici poſſent, niſi jam dicta ſatis ad propoſitum fore viderentur.

Porro, ſi cui haec ſubtilior quam juſtior contemplatio exiſtimetur, is videat, ne aeque ſubtilis ſit hujus morbi ex pedibus frigori objectis orti quaelibet explicatio.

CAUSA MORBUM CONTINENS.

Nimius arteriolarum et ſanguinis partis affectae motus, propter illarum ſpaſmum, et hunc in partem congeſtum, poſt frigus aut caeteras noxas modo demonſtratas, vulgo cauſa hunc et ſimiles morbos continens, perhibetur. Quae morbi ratio,

tio, licet reliquis et veriſimilior et probabilior ſit, tamen explicatu difficillima eſt; ideoque, cum non hanc ſolam, ſed omnia inflammationis genera reſpiciat, in eam paucis inquirere, et quae mihi dubia aut incerta videantur, quae caeteris probabiliora, exponere decrevi. Ergo, ut in nimii vaſorum motus cauſam inquiram; utrum is nimius motus, de quo locutus ſum, in frequentioribus oſcillationibus, quibus ſcilicet vaſa alternatim nunc ſe contrahunt nunc relaxant, eorum affectuum inſtar qui clonici vocantur, conſiſtat; an cauſa irritans, tonicum tantummodo vaſorum affectum, ideoque majores, ſed non frequentiores oſcillationes faciat, et ſic ſanguinem percitet; an utrumque ſimul fiat, et ſtatum quo morbus contineatur det, pariter mihi incertum eſt. Oſcillationum frequentiorum opinionem WHYTTIUS *, majorum CULLENUS, alter nuper, alter et nunc, praeceptores noſtri defendunt. De qua quaeſtione ut res perſcruter, video in quibuſdam affectionibus, ubi ad partem

* Whytt's works, p. 230.

abundantia ſanguinis ruit, aut etiam is congeſtus eam nimis replet, quod ſaepe in epilepſia fit, arterias vicinas, et, ut in hoc morbo, temporales, frequentius quam brachii arteriam, micuiſſe. Animadverti etiam arterias membri reciſi ferro chirurgico vulneratas, crebrius quam pro cordis aut arteriae radialis percuſſuum frequentia, ſanguinem projicere. Quae res, quatenus ad hanc controverſiam dirimendam et veram nimii arterioſi motus rationem explicandam pertineant, aliis dijudicandum relinquo.

Porro, et ambigitur in affectionibus huic ſimilibus, et ubi nulla niſi inflammationis ſigna apparent, utrum irritatio talis, qualis frigoris atque ſimilis eſt, ſola mali origo ſit; an acris materia, qualis aeris inquinamentorum, contagionis, aut vaporis perſpirabilis eſt, ſuperaddita illam adjuvet. Nam et inflammationes quaſdam, huic ſede et ſignis haud multum diſſimiles, contagioſas eſſe, ut ſupra dictum eſt, conſtat; et hujus, ut et ſimilium,

lium, ordo et progreſſus ad poſteriorem opinionem ducunt. Unoque verbo, acris vapor, ut ſupra etiam relatum eſt, frigore intus retentus, in partem opportunam directus, et ibidem adcumulatus, nocere; contra frigore et effectu ejus, ſcilicet ſummae cutis foraminum occluſione abſentibus, libere corpus introire et exire impune poteſt; ſed neque de hac re, utpote incerta, certum ullum judicium interpono.

PAUCORUM SIGNORUM EXPLICATIO.

VERUM, ad originem et naturam morbi, quantum fieri poterit, porro illuſtrandam, quaedam ſigna, ut dolorem, tumorem, pyrexiam, vorandique et ſpirandi difficultatem, item ſalivae profuſionem, et morbi alio diſceſſionem, explicare conabor.

QUOD ad dolorem tumoremque attinet, admoto parti ſenſibili ſtimulo haec rerum ſeries ſuboritur. Arteriarum motus intenduntur,

tenduntur, quae illarum motuum intentio humorum motus intendit. Quod frequentioribus an majoribus oſcillationibus debeatur, ſupra addubitatum eſt. Sic intentus vaſorum et ſanguinis motus, ſeu tenſio inflammans, aut vis tonica intenta, ſtatum duplicem creat, qui invicem potens auctae ſenſibilitatis evadit origo; et licet prima cauſa irritans jam ſublata ſit, ipſe irritationis ſatis ſuppeditat qua dolor et inflammatio uſque ſerventur. Quo ſtatu paulo diutius permanente, aut in majus creſcente, in membranam celluloſam effunditur humor. Quod dilatatis an ruptis ex arteriolis exhalantibus fiat, incertum. Verum ſic effuſus humor et vaſorum dilatatio tumoris originem explicat.

Quod ad febris rationem attinet, ubi febris cauſae communes cum propriis inflammationis non concurrunt, dubium non eſt quin febrilia mala ab hujus irritatione oriantur. Quae irritatio, an cor et arterias recta ſtimulando, an cerebrum prius, dein haec commovendo, febrilem

ſtatum

ſtatum et ſequentes corporis motus ſuſcitet, non audeo ſtatuere. Quam rem certius ſcire cupidos, ad egregii Praeceptoris noſtri CULLENI novam de febribus doctrinam relego.

DIFFICULTATEM cum dolore devorandi, dicta de vaſorum ſub dolore et tumore diſtenſione explanabunt. Ad compoſitum enim devorandi negotium peragendum, variae organorum faucium contractiones et remiſſiones requiruntur. Neceſſe igitur eſt ut omnis hujuſmodi motus, ad aſſumpta detrudenda, ſub hac organorum dolorifica diſtentione, haec ſummopere irritet; humores vero ideo plus doloris dabunt, quia ad eos detrudendos majoribus contractionibus opus eſt. Unde, quod ſaliva aegerrime hauriatur, ratio clara adparet. Ob eandemque cauſam, prout devorandorum moles minor eſt, ita devorandi labor major fere erit; dummodo ſolum aſſumpti alicujus tanta magnitudo ne ſit, ut partes ſupra ſolitum modum diſtendat. Quo inſuper accedit ſtimulus

mulus neceſſario ab omni materia oriens, quae organa haec inflammata, ideoque ſenſibilia, tranſitu ſuo contingat.

PORRO, vel partium vicinarum ad larynga, vel hujus ipſius tumor, quare ſpiritus difficilis ſit, apte demonſtrabit; ſiquidem, ſic iter aerium per tumorem coangustetur oportet. Vel etiam hae ipſae partes, dilatationis, irruente aere propter inflammationem, impatientes ſpiritui officient.

SEMPER, ſanguinis aucto impetu, excretiones inde pendentes augentur, idque, niſi ſpaſmus vaſorum adeo magnus eſt, ut horum ora prorſus occludat, perpetuum reperitur. Sed in hoc morbo, quia ipſa organi ſalivifici ſedes quam maxime irritatur, ideo ſaliva non ſolum ſolito major, ſed ad profuſionem eſt.

QUOD autem ad morbi ab hoc in alia loca diſceſſionem attinet, ea res ab inflammationis univerſo corpori communis habitu oriri videtur; et pari modo, ac ipſe, ab initio morbus, explicabilis. Cumque

pulmones

pulmones prae caeteris corripi periclitentur, id fit ob eorum ad principis mali sedem vicinitatem. Neque alia aut cynanches aut peripneumoniae aut cujuslibet phlegmasiae causa est, quam habitus quo unusquisque earum partium prae caeteris in inflammationem opportunus est, nisi quod in duobus prioribus frigus ad ipsas adspirans partes noxa esse potest, et hos potissimum morbos excitare. Verum, quare hic aut ille locus aliis magis in inflammationem sit proclivis, e ratione eorum morborum cognitio est petenda. In praesente, irritabilitatem alius partis quam aliarum majorem, et sanguinis cursum eo prae caeteris conversum, esse causam, dixisse ero contentus. Cum enim omnis inflammatio morando suam causam imminuat, et sui natura quodammodo fiat remedium, ita attenuatis sive per remedia eo admota sive morbi mora faucibus, sed subsistente adhuc communi inflammationis causa, ea, cum partium aliarum opportunitate relata, erit, quare istae partes, et

aliae

aliae prae aliis, inflammatione corripiantur, causae origo. Unoque verbo, cum ex omnibus phlegmasiis sola cynanche, rheumatismus, et arthritis, aliunde alio divagentur, id mihi fieri videtur, quod in aliis phlegmasiis, ut peripneumonia, pleuritide, hepatitide, nephritide, gastritide, et enteritide, communis inflammationis habitus minor, partium inflammatarum major prae caeteris irritabilitas subest. Ideoque morbus non alia loca petit, quia ea irritabilitate, in qua opportunitatis magna pars consistit, carent: Contra in cynanche, nam rheumatismi et arthritidis rationem propriam omitto, tantus inflammationis tamque late patens, est, ut vel naturalis irritabilitas, vel ea quae communes inflammationes omnibus impertit partibus, ad accendendum morbum sufficiat. Neque aliud interest, nisi quod, ut in aliis hominibus, et eodem aliis temporibus sanguis, ad alias partes prae reliquis latus, eas prae reliquis

opportunum

latus eas prae reliquis opportunum morbo reddet.

JUDICIUM EVENTUS.

PLERIQUE hujuſmodi affectus periculo non carent; quod majus minuſve erit, prout organa devorandi ſpirandique magis aut minus adficiuntur, pro inflammationis latitudine ac amplitudine, pro ſede tumoris, poſtremo pro varia febris vehementia *. Spiritus adfectus, et ſigna omnia latentia †, nihil boni ſignificant; ſic enim, in larynge aut aſpera arteria malum ſedere, et creſcente tumore ſuffocationis periculum inſtare, intelligitur. Neque periculum deeſt, ubi devorandi facultas cum acuto dolore et nullo ſigno apparen-

* Van Swiet. tom. 2. p. 665.

† Ibid. p. 657. Angina graviſſima eſt, et celerrime interimit, quae neque in cervice, neque in faucibus, conſpicuum quid habet. Hip. praedict. lib. 3. c. 8.

te impeditur * ; nam, licet ſpiritus, cujus adfectus ſemper metuendus eſt, liber ſit, tamen, quia nihil devorari in illo caſu, nec corpus ali poteſt, diuturnior morbus magna mala et perniciem trahere poteſt. Porro, licet raro, ſpiritus et devorandi facultas ſimul, aliquando tamen, adficiuntur; quod ubi fit, vix ulla ſalutis ſpes eſt. Contra, ubi cum rubore tumor in faucibus manifeſtus eſt †, ſemper fere ſalutaris erit eventus. Unoque verbo, ut omnes notae oculos fallentes fere ſemper malae, ita omnes in conſpectu ſitae laetum eventum indicant, niſi quod, praeter partis indicia, pyrexiae magnitudinis, quippe quae inflammationis magnitudinis menſura ſit, ratio ſemper habenda eſt ‡; et quo celerius

* Hip. ſect. 4. aphor. 34. 35. Foreſt. lib. 15. obſ. 24. Cel. lib. 2. cap. 6. p. 55. Syden. ſect. 6. cap. 7. p. 357.

† Hoff. tom. 2. p. 127. Junck. conſp. med. tab. 30. p. 258. Lom. obſ. med. lib. 2. p. 99. Hall. hiſt. morb. p. 43.

‡ Van Swiet. tom. 2. p. 665.

atque

atque citius febris increſcit, eo majus periculum eſt. Mutati, in alias ſedes, ideoque et in alios morbos, hujus ex iſtis morbis eventus cognitio trahatur. Vix unquam exitio ſuppuratio *, ſemper fere gangraena †, eſt.

RATIO MEDENDI.

Si natura contagioſa huic morbo ſubeſt, quod et fieri poſſe et veriſimile eſſe dictum eſt, ejus ratio quodam modo conſilia medendi regere videatur debere. Verum, cum nulla propria eam corrigendi aut corpore ejiciendi remedia nota ſint, et ſigna omnia in inflammatione conſiſtere conſtet, idcirco adverſus contagionem communibus humorum detractionibus, adverſus inflammationem, huic reſiſtentibus,

* Van Swiet. p. 695. De la motte traite comp. de chirurg. tom. 1. p. 193. † Van Swiet. tom. 2. p. 697. Platn. ars med. ſect. 204. p. 97.

bus,

bus, quae antiphlogiſtica dicuntur, tantummodo uti neceſſe eſt. Quorum plerumque uſum et experientia reſpondere docet, neque ratio, praeſertim quam modo reddidimus, ei obſtat. Nam, ſi frigus et aliae noxae, inducto vaſis ſummi corporis ſpaſmo, contagionem, aliter impune corpore exceſſuram, accumulavit, in fauces direxit, et morbum ſic aliquando genuit; ita per idonea remedia, qualia fere adverſus inflammationis ſigna pari potentia valent, ſpaſmo reſoluto, exeundi noxae rurſus dabitur facultas. Contra, ſi in hac re fallimur, et nulla contagio ſubeſt, nihilo tamen ſecius per remedia dicta voti erimus compotes.

Tota ergo curationis adminiſtratio in tria conſilia diſcedit:

Primum, tenſionem inflammationis tollere, et nimium vaſorum motum ad juſtum modum redigere:

Tum, ad ſumma corporis ſanguinem revocare, atque perſpirationem et reliquas excretiones expedire:

Po-

POSTREMO, omni rei cujusque maxime periculosae cura, necessariis vitae spirandi actionibus consulere.

PRIUSQUAM vero ad hanc obeundam partem procedam, praemonendum videtur, curationem hujus morbi in omnibus fere casibus, ut ut variantibus, eandem genere esse, iisdemque semper remediis, sed modo magis, minus modo potentibus, prout signa, nunc graviora, nunc leviora, plus minusve intentent periculi, insistendum. E quibus quasi morbi magnitudinis gradibus, ne sermo futurus, nunc summa, nunc ima, nunc varie media, persequendo, non unam rem tractare, sed in plures et diversas tanquam dividi, et legentes turbare, videatur, ego quo modo gradus supremus sive gravissima morbi forma potissimum sit curanda ostendam; eoque magis, quod, sic communi lege constituta, inde, quae in inferioribus gradibus servanda curatio sit, sponte consequetur. Quod vero ad remedia attinet, eorum quoque, ne universa quotquot excogitata sint supervacuo

pervacuo labore complectar, delectum habendum, et tantummodo optimum quodque memorandum, judicavi.

Ut ad primum igitur consilium redeam, cum non parte solum, sed et toto corpore, tensio et motus vasorum justo major sit, ergo huic consilio respondentia remedia, utrumque, et corpus et partem, spectare oportet. Hujusmodi sunt humores, et praecipue sanguinem detrahentia et laxantia.

Detractio sanguinis larga * et subita † esse debet, quia sanguinis copia maxime morbum irritat, et vasa post subitam detractionem facilius idoneum tonum recipiunt. Animae defectio ideo vitanda est, ne, maturius justo incidens, tantum detrahi, quanto opus sit, prohibeat. Ad quod incommodi vitandum, recumbente aegro incidenda vena est. Quod si anima forte deficit, cum ea defectione polypi cordi sub-

* Vid. Syd. Sect. Sext. cap. 7. Junk. Conspect. Med. tab. 30. p. 259. Hal. Hist. Morb. p. 43.

† Pringle, p. 137. Van Sweit. tom. 2. 672. Hoffman. op. tom. 2. 127.

oriri

oriri dicantur, ea res haud multum me movet, quippe quod rariſſime, aut nunquam revera, fieri exploratum ſit.

ITEM, loci incidendi delectus eſt habendus, quem juguli venas eſſe oportere humores anatomice immiſſi, et experimenta hujus ipſius rei conſtituendae cauſa capta, demonſtrare videntur. Quod ſi idonea copia inde accipi nequibit, tum ad brachii venam decurrendum, et quantum ſatis eſſe videbitur, ex ea auferendum eſt.

QUANTUM autem demi debeat, robur, aetas, et praeſens aegrotantis habitus, melius quam ullum praeceptum meum, curanti demonſtrabit. Aut ſi praecipiendum eſt, vicenae circiter unciae primum demptae plerumque in homine adulto reſpondebunt. Qua ſanguinis imminutione ſi levatus homo non fuerit, et febris cum vel ſpirandi vel devorandi difficultate perſtet, dimidium prioris copiae iterum detrahi oportet. Et ſic ad quadragenas vel quinquagenas uncias, ſi tumor non decreverit,

aut

aut reliqua ſigna requiſiverint, pergendum eſt.

PRÆTERQUE ſanguinis magno vaſe inciſo detractionem, eum de parte quoque trahere convenit. Intervallis igitur prioris remedii, in collum aut cervices hirudines recte immittentur, aut cucurbitulae conciſa carne imponentur *. Prius tamen quam pars vulneretur, veſicatoria eidem imponi omni ratione debent. Quorum uſus in omnis inflammationis curatione, proximus utilitate ſanguinis detractioni eſt; eoque ſemper efficacior, quo propius partem laborantem ea imponuntur; id quod pleuritis, peripneumonia, gaſtritis, enteritis, et prae caeteris hic morbus †, toties iis feliciter curata, docent. Ergo, poſt primam detractionem, magnum veſicatorium circa collum aut cervicem ita ponatur, ut pla-

* Celſ. lib. 2. cap. 10. p. 81. Cael. Aurel. Acutor. Morb. lib. 3. cap. 3. p. 188. Van Swiet. tom. 2. p. 675.

† Pringle, part 3. cap. 2. p. 137. Hall. Hiſt. Morb. p. 43. Syd. Sect. 6. cap. 7.

ga,

ga venae jugularis, qua ſanguis detractus ſit, vitetur, ne cantharides ea ſanguine receptus ſtranguriam et irritamenta alia pariat. Qua ratione veſicatoria agant, humorisne detractione tenſionem imminuendo, an ſine dolore ſtimulum nervis gratum, quod plerique affectus nervoſi, in quibus omnibus veſicatoria proſunt, oſtendunt, hactenus parum conſtat. Verum cum diverſis natura morbis, ſcilicet, tam in inflammatione quam in debilitate nervoſa conſiſtentibus, accommodata reperiantur, eorum actionem utraque ratione peragi veriſimile eſt. Atque ea, una cum ſanguinis detractione, plerumque malum tollent. Quod ſi non tollitur, ac ne remittit quidem, pergendum, ut ante praeceptum eſt, ſanguinem amplius mittere; in hoc enim auxilio praecipuam et unicam fere ſalutis ſpem, ab omni aevo, tam veteres * quam recentiores medici collocarunt.

* Vid. Hip. de Morb. lib. 3. cap. 10. Chart. tom 7. p. 586. Gal. de curand. ratione per venaeſect. cap. 19. Carter.

carunt. Atque haec omnia remedia, quatenus humorum copiam imminuunt, aut ſpaſmum reſolvunt, eventu laxare ſeu tenſionem firmorum imminuere, ſunt dicenda. Verum,

QUÆ praeſenti effectu firma protinus relaxant, fomenta ſunt *. Quam poteſtatem aqua calida ſola quidem poſſidet; neque alia quaedam, quae cum ea commiſceri conſueverunt, quicquam adferunt auxilii. Ejus actio haec manifeſto eſt. Cuticulam, quam ipſo contactu fovet, mollit et expandit, et ſic partes infra poſitas pari ratione afficit. Extremis nervorum infra cuticulam diſperſis gratum ſenſum praebet, et vaſa ubique per cutem diſcurrentia ad motus idoneos componit. Quo fit, ut congeſti humores digerantur, vaſa diſtenta exonerentur, et impedimentum quodque tollatur.

Carter. tom. 10. p. 448. Arat. lib. 1. de curat. morb. acut. cap. 7. p. 87. Trallian. lib. 4. cap. 1. p. 231. 232.

* Van Swiet. tom. 2. p. 678.

FORMA

Forma vero fovendi, reliquis potior, eſt pannus laneus aqua calida madefactus. et ſubinde collo anteriori tantiſper admotus, dum debitum calorem ſervat, et vel alter, vel idem protinus ſic quoque madefactus, iterum adjectus, quo magis haec balnei ſpecies continuetur. Eodemque conſilio, calidae aquae vapores fundibulo inverſo in os et guttur dirigi debent, et utrumque bis terve aut ſaepius die fieri; ita tamen ne quid reliquorum medicamentorum ſuis dari temporibus horum uſus prohibeat. Quin et tepida aqua leviter roſis tincta, et ſucci lemonum paululo adjecto, quo gratior ſit, gargarizandum os videtur; curandumque tantummodo ne fauces nimis agitentur, et nimium vaſorum motum intentent. Ob quam cauſam, os ea plenum, quamdiu commode id fieri poterit, tenendum. Cum vero nitrum levare tales ſaepe dolores conſtet, nihil obſtat quo id minus aquae ſuperaddatur.

Ad ſecundum medendi conſilium pertinent ſudorem et excretiones alias moventia et refrigerantia. Inter priora longe primum locum ſibi vindicat tartarum emeticum: De cujus agendi ratione fuſius diſſeruiſſe, tractatus hujuſce limites multum ſuperaret.

Tartari tantillum, ſubinde dandum videtur, quoad nauſeam excitet, aut, ſi haec ſemel ad juſtum vomitum pergeret, nihil inde foret incommodi. Nauſeam ideo praecipio, quia per eam ſanguis ad ſummum corpus facilius revocatus ſervatur. Cujus uſus eo uſque ſervandus eſt, dum febris decreſcat. Item cum, ne ſtercus inteſtinis haerens, et diutius permanens, morbum irritet, periculum ſit, tartarum ita adminiſtrarem ut alvum purget. Aut, ſi per tartarum id minus fieret, ſexta quaque hora poſt datum tartarum clyſterem mollientem mandarem. Quod et quotidie, iis diebus exceptis quibus medicina ore accepta purgandum forte ſit, non

facere

facere omitterem *. Cathartica autem ore alternis diebus darem; quia inteſtina levia et facilia eſſe, et ſtercoris irritamento carere, in omni ſimili morbo uſui eſt.

Ubi vero tartarum non adhibetur, e ſalibus nauſeam moventibus, quale julepum ſalinum eſt, unciae ſingulae, poſt binas horas aqua, in qua hordeum decoctum ſit, tepida aut ſero ex aceto additis, cum fructu adhibebuntur.

Quod autem ad victum attinet, eadem aqua hordeata ſyrupo de lemonibus, vel lemonada ſero ex aceto, additis, potiſſimum potui dandum eſt. Sed et haec potio tepida, non calida, eſſe debet; omnis enim calor, qui paulo major eſt, ſtimulat nocetque. Talis potio ad ſumma corporis humores dirigit, ſitim levat, et virtute refrigerante, ut febris de ſua vehementia remittat, et ſudor toto corpore aequalis

* Syd. ſect. ſext. cap. 7. Van. Swiet. tom. 2. p. 657. Hoff. op. tom, 2. p. 127.

undique

undique dimanet, efficit. Atque eandem pro magna etiam victus parte esse oportet.

CIBUM ex genere plantarum, praecipue farinaria, fructus, poma tosta, et aurantia, ad arbitrium esse homo debet.

DE utroque autem et cibo et potione, hoc est dicendum: Cum sitis magna irritationis et anxietatis sit origo, et in sitiendi organo ipse morbus sedeat, ad eam sedandam acidum vegetabile, in omni victus forma, multum usurpandum est. Neque obstat quicquam, quin, ubi nihil accipi ore potest, eadem materia in alvum, ad vitam sustentandam, immittatur.

POSTREMO, et coeli temperiei habenda ratio est. Ergo calor cubiculi ne sexagesimum thermometri Fahrenheitiani gradum superet. Vestis ubique, nisi circa guttur, levis sit; hoc vero veste lanea bene tegatur. Omni motu, sive musculoso, sive gestationis, et prae caeteris audiendi et loquendi contentione, et irritamentis omnibus, quantum maxime fieri poterit, abstineatur.

AD

Ad tertium vero medendi consilium, ut tandem transiens huic disputationi finem imponam; si, post adhibita prioribus consiliis respondentia, febris et inflammatio nondum remittentes; item, si tumor, in faucibus adparens, sive ob magnitudinem citra suppurationem, seu propter puris copiam, strangulare hominem minitabuntur; contra periculum instans conandum aliquid majus est. Itaque, contra tumoris necdum suppurati magnitudinem praesentius nihil est, quam, conciso eo, sanguinem emittere. Aut, si hoc parum procedit, tam eidem quam puris abundantiae bronchotomia sola medebitur. Quod remedium plerisque periculi metu refugientibus, inter paucos * illustris Praeceptor noster Gregorius, ei instandum, et primo quoque tempore asperam arteriam perforandum, neque quicquam reformidandum, contra vitarum utilium, alioquin certa pernicie periturarum, millia aeque certa salute servari posse, contendit. Contra, si non tumoris magnitudo, non puris tam

* Van Swiet. vol. 2. p. 84. Hall. hist. morb. p. 45.

abundantia,

abundantia, quam tracheae vicinitas, periculum intentat, jamque horrores vagi, fluctuatio, color, et doloris sive finis, sive ex acuto in hebetem magis mutatio, coeptam suppurationem denunciat, incidendus scalpello tumor est; omnique ratione, ne pus in asperam arteriam decidat, chirurgo providendum.

Qua curatione sublato morbo, cum semper fere redeundi sit periculum, quo minus id fiat, noxiae potestates omni cura vitentur. Quae, si ex toto vitari non poterunt quove certius periculo earum occurratur, pars jam ut sanata quidem, ita recente morbo imbecillior, cortice Peruviano, exercitatione, frigore, et lavatione frigida, contra leviorem quemque casum, muniatur. Neque tamen, inter haec remedia administranda, vires convalescentis non oportet respici: Ergo prius aer modice frigidus, mox frigidior, spiretur. Frigida os initio, deinde totum corpus, lavetur. Postremo, exercitatio ex leniori paulatim in austerum magis mutetur.

F I N I S.